

RACHISIVS LONGOBARDORVM REX.



Rachisius Longobardus genere ob suas uirtutes à rege Foroiuliensis dux fuit constitutus. Erat enim insigni fortitudine & prudentia praeditus. Itaque eius opera factum, ut Luithprandus, tempore cum Thrasemundus Spoletanus & Romani rebellassent, ingenti clade uitata, uictoriā sit adeptus. Cogebat is regium agmen, quod iam disolutum erat, & fugam innire cōoperat, multis iam occisis & saucijs. Unius uoce & cōuicījs fuga sistitur, & mox eiusdem hortatu ex his, qui antea fugiebant, fit globus, & praelium instauratur. Erat iam pugna propemodū adaequata, quum nobilis Spoletinus eques Rachisiū primo loco dimicantem nominatim compellat, & ad singulare certamē prouocat. nec homo fortis pugnam detrectauit. Concurrunt ex aduerso infestis hastis, eratque pons praeceptiū loco impositus, in quo forte congressi sunt. Cæterū Rachisiū uiolento lanceā iectu Vmbrum magna uirtute præcipitem ex ponte egit, & superauit, non sine hostium risu. Infoelici eius dimicationis euentu Romani & Vmbri percussi, remissa pugna fugam innierunt. Hinc factum, ut Rachisiū multo maiorem autoritatem quam prius adeptus fuerit.